

dum erit ab eo Curato, qui Ecclesiae praefuerit. n. 327 die 18. Nov. 1606.

Locum digniorem in funeralibus semper relinquendum esse Capitulo et Clero Ecclesiae Cathedr. n. 1415 die 13. Sept. 1642.

Praecedentiam dandam esse in funeribus Capitulo Cathedr. etiam super Parochum defuncti. n. 850 ad 1 die 16. Febr. 1630.

In delatione cadaveris, quotiescunque intervenit Capitulum et Clerus Cathedralis, praecedentiam competere Capitulo et Clero ejusdem Cathedralis. n. 2442 die 9. Junii 1668; 28. Apr. 1703.

In processione funebri, ubi cadaver defertur, Canonicos et Capitulum Ecclesiae Cathedr. praecedere debere Rectores curatos Parochialium Ecclesiarum. n. 35 die 2. Dec. 1592.

In processione funebri non convenire Curato, quamquam suae parochiae defunctus ad sepeliendum in Ecclesia Cathedrali duceretur, praecedentiam, sed Canonicis. n. 164 die 30. Aug. 1602.

Curatum Ecclesiae, ad quam corpus defuncti defertur, quando adest Capitulum Cathedralis, debere praecedere quoscunque alios Presbyteros, non autem dicto Capitulo et non cum Mansionariis et inter aut post illos. In Ecclesia vero, ad quam funus defertur, ad Curatum ipsius Ecclesiae pertinere Officium facere circa corpus defuncti. n. 224 die 20. Dec. 1603.

Ratione stolae dandam esse praecedentiam Capellano, qui curam Ecclesiae Cathedralis exercet. n. 385 die 14. Junii 1608.

Debetur praecedentia *per vias* in associatione funeris Capitulo Collegiat. capitular. intervenienti et non parochi defuncti. n. 4877 ad 1 die 11. Apr. 1840; n. 4965 ad 3 die 17. Junii 1743.

Canonico turnario stolam gestanti debetur praecedentia supra Dignitates in associatione cadaverum. n. 4030 ad 4 die 12. Martii 1735.

Parochi stolam deferentes in funeribus etiam in districtu propriarum Ecclesiarum non possunt praecedere Capitulum et Dignitates Cathedr. processionaliter cum Cruce et collegialiter incedentes. n. 3376 die 17. Dec. 1695.

Capitulo interveniente parochum defuncti, etiam quod sit stola indutus, *incedere debere ante Canonicos Cathedralis*. n. 2576 ad 2 die 26. Mart. 1672.

Parochum in Colleg. Mutilian. ratione stolae debere praecedere Canonicis ejusdem Colleg. etiam in funeralibus. n. 2450 die 15. Sept. 1668.

Praecedentiam competere Capitulo et Canonicis supra omnes alios et etiam supra proprium parochum stolam deferentem. n. 1098 die 24. Sept. 1638.

Praecedentiam deberi Capitulo et Canonicis Cathedral. supra proprium parochum deferentem stolam, non obstante contraria consuetudine. n. 1063 die 10. Julii 1633; n. 3093 ad 1 die 15. Sept. 1685.

Praecedentiam dandam esse in funeralibus Presbytero sive saeculari sive regulari cum stola supra alios sine stola. n. 778 die 20. Nov. 1628.

Ratione stolae deberi praecedentiam illam deferenti etiam ante Archipresbyterum et alios omnes cotta tantum indutos. n. 865 die 22. Junii 1630; n. 1804 die 10. Junii 1656.

In funeribus, quae fiunt in Ecclesiis Regularium, pertinere ad Curatum deferre stolam et facere confessionem generalem versus populum. n. 407 ad 1 die 20. Junii 1609.

Illum Presbyterum seu Curatum seu Priorem, qui defert stolam et ad

cujus Ecclesiam funus defertur, alios omnes praecedere debere. n. 416 die 24. Oct. 1609.

Vd.: *infra* decr. n. 4695.

Locus dignior in funeralibus semper relinquatur *Capitulo et Clero Ecclesiae Cathedral.*, parochum vero defuncti vel parochum Ecclesiae, ad quam corpus defuncti defertur, digniorem locum obtinere debere et praecedere quoscunque alios presbyteros, non autem *Ecclesiae Cathedralis* et debere incedere *ante* Capitulum Ecclesiae Cathedral. In Ecclesia vero, ubi corpus defuncti sepelitur, ad parochum ipsius Ecclesiae pertinere Officium facere. n. 442 die 25. Junii 1611; n. 3641 die 20. Jan. 1703.

Capitulum, Canonicos et Curatum Cathedralis *post* Curatum defuncti stolam deferentem incedere debere. n. 785 ad 2 die 9. Dec. 1628.

An Parochum ipsum in associandis funeribus defunctorum propriae ipsius parochiae in loco praecedentiam spectare juxta Ritualis dispositionem. n. 573 die 13. Junii 1619.

Dum totus Clerus incedit sub unica Cruce, quisque debet incedere cum suo capite, non ratione praecedentiae, sed ne membra dividantur a suo capite. n. 2420 ad 2 die 13. Aug. 1667.

Capellanus et Sacrista Colleg. Canthianae debent praecedere proprio parochi defuncti cum Capitulo, non ratione praecedentiae, sed quia, cum sint de gremio, efficiunt cum eo unum corpus, quod non potest dividi. n. 2221 ad 1 die 16. Junii 1663.

In funeribus Canonici Collegiatae praecedant supra parochos etiam defuncti, dummodo incedant capitulariter cum Cruce. n. 2206 die 17. Martii 1663.

In *associatione funerum*, salva legitima loci consuetudine, deberi Capitulo Collegiatae praecedentiam supra parochum etiam proprium defuncti, sine praejudicio

tamen in reliquis jurium parochi competentium. n. 1505 die 14. Maii 1644.

Vicarium s. Antonii, etiam quod sit stola indutus, in concursu cum Capitulo Collegiatae, incedere debere ante ipsum Capitulum in funeralibus. n. 1222 die 31. Mart. 1640.

Capitulo interveniente parochum defuncti etiam stola indutum incedere debere ante Canonicos Cath. n. 1260 ad 2 die 15. Sept. 1640.

Ministri, qui a patriarchalibus Ecclesiis de Urbe ad defunctum cum stola recipiendum et deducendum ad eorum Ecclesiam transmittuntur, praeferi et praecedere debent proprio parochi. n. 708 die 25. Sept. 1627.

Praecedentiam dandam ante parochum Collegiatae, sed Officium facere spectare ad proprium parochum. n. 711 die 20. Nov. 1627; n. 1566 die 13. Sept. 1646.

Praecedentiam et Officium facere circa cadavera in propriis Ecclesiis Regularium ad ipsos Regulares spectare et competere. n. 713 die 20. Nov. 1627; n. 717 ad 1 die 11. Dec. 1627.

Interveniente solo Archipresbytero Collegiatae Pedonae ad funus associandum et altero Curato stolam deferente, Curato danda est praecedentia. n. 3206 ad 5 die 11. Mart. 1690; n. 3308 die 18. Apr. 1693: *cum appendice*: cum stola etiam per viam praesentibus Archipresbytero et Canonicis Collegiatae.

Curatum et Sacristam Cathedralis, etiam quod sunt amovibiles, quando intervenit Capitulum Cathedr. (sub cuius Cruce incedunt Curatus et Sacrista) debere praecedere proprio parochi defuncti. n. 905 die 8. Mart. 1631.

Tres ex Canonicis Colleg. sub Cruce Capituli de Ordine associantes funus repraesentare totum Capitulum ad effectum habendi praecedentiam supra omnes alios funus associantes. n. 1162 die 23. Maii 1639.

licentiam ad id ut plurimum concessisse cognoverit.

Idem idcirco Episcopus utriusque parti aequaliter indulgeri posse censet, declarando nimirum, quod cadavera, quae statim domibus efferuntur, in Ecclesia parochiali usque ad horam humationis deponantur, nisi morientes in dicta Ecclesia PP. s. Francisci statim exponi se velle declaraverunt. Reliquum ergo est, ut EE. VV. modo statuere dignentur:

I. *An cadavera in Ecclesiis regularium sepelienda, antequam ad eas deferantur, asportari debeant ad parochialem? Et quatenus affirmative;*

II. *an et pro quo tempore ibi retineri debeant in casu?*

S. C. die 17. Aprilis 1706 respondit ad I.: negative;
ad II.: provisum in primo et amplius, — ut in lib. 56 decr. p. 121.

g) *Via per aliam parochiam.*
Vd.: *Process. fun.* (Crux in trans.)

Parochus praetendit, parochos cum funeribus illac transeuntibus debere consistere et Regulares associantes funus de manu ipsius parochi debere cadaver recipere et ipsum uti proprium parochum defunctorum agnoscere.

S. C. resp.: Dictum parochum non posse neque debere impedire, quominus parochi suos defunctos comitentur usque ad Ecclesiam, in qua sepeliendi sunt. n. 615 die 14. Febr. 1626.

Ad dubium: an proprius parochus defuncti transeundo per parochiam unius parochi alterius cujuscunque dioecesis, ad effectum deferendi processionaliter cadaver ad Eccles. Regul., possit libere et licite per eandem cum stola et Cruce elevata transire, etiam irrequisito parochi?

S. C. Ep. resp.: Affirmative.
Die 28. Nov. 1671.
(Bull. r. t. XI. p. 199.)

Curatus quidam conquestus est de altero curato alterius parochiae, quod illuc transiens orator cum aliquo cadavere sui parochiani praetendat ille curatus erigere propriam Crucem et cadaver aqua bened. aspergere in signum jurisdictionis, supplicans responderi, an hoc liceat?

S. R. C. resp.: Non licere, sed omnino abstinendum; prout in posterum omnino abstinere mandavit.

Die 9. Dec. 1634.

Ad dubium: An parochus s. Sylvestri civitatis Sutrin. possit et eidem licitum sit, sine licentia et consensu parochi Ecclesiae Cathedr. ejusdem civit., transire cum Cruce per aliam parochiam, associando cadaver tumulandum in Ecclesia Regul. extra parochiam propriam?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 15. Sept. 1685 in *Sutrina*.

Vd.: *Quarta funer.* (in trans.)

26) *Generalis pro causa publica etc.*

a) *Obligatio Cleri saecul. et reg. interessendi.*

Vd.: *Processio* (Oblig. Cleri etc.); *Process. ad Episcop.* etc.

Neapolitana.

(Conc. Tr. C. 13. Sess. 25. De Reg.)

Statim ac ad aliquam Civitatem certa defertur notitia de obitu Summi Pontificis, solemnes debent a Clero et populo Exequiae pro eo celebrari et usquequo certa deveniat notitia de successoris electione, Clerus et populus fundere debent preces ad Dominum, ut ipse, qui concordiam facit in sublimibus, efficiat eligentium corda in eligendo concordia, ut legitur in *cap.: ubi periculum de Electione in 6.*

Ad tramites hujusce canonicae dispositionis, statim ac ad civitatem Neapolitanam delatum fuit Nuncium obitus san. mem. Innocentii XIII., Curia

Archiepiscopalis Neapolitana Edictum publicavit, quo publicas supplicationes seu processiones indixit, cui Clerus saecularis et regularis interesse deberet pro Ope Divina imploranda in re maximi momenti, qualis est illa electionis Summi Pontificis.

Omnes de Clero tam saeculari quam regulari statis et assignatis in Edicto diebus ad processionem accesserunt, exceptis Clero s. Joannis ad Mare, s. Angeli ad Nidum et Patientiae Caesareae; quocirca ne sub obtentu ignorantiae memorati Edicti, licet ad Valvas Ecclesiae Metropolitanae et in aliis publicis et consuetis locis affixit, supradicti se eximerent ab interventu processionis, eadem Curia Metropolitana novum Edictum publicavit, quod etiam personaliter intimare fecit, in quo iis omnibus praecepit, ut ad processiones accederent, quae aliis sequentibus diebus fieri debebant pro Summi Pontificis electione, imposita suspensionis poena et Interdicti quoad eorum Ecclesias in casu inobedientiae.

Hisce minime obstantibus processioni non interfuerunt Sacerdos Marcus Mercadante Rector Ecclesiae s. Angeli ad Nidum unacum suis Capellanis et Sacerdos Nuntius Papalordo Sacrista Ecclesiae Patientiae Caesareae una pariter cum suis Capellanis; receptisque formiter testibus super eorum absentia Curia Metropolitana suspendi mandavit a divinis memoratos duos Sacerdotes salvo facultate procedendi contra Capellanos, necnon ad Interdictum quoad Ecclesias et Cedulones affixi fuerunt ad Valvas Ecclesiae Metropolitanae et personalis intimatio facta est Sacerdoti Mercadante et aliis contumacibus.

Fertur, nonnullos animo demisso supplicasse et obtinuisse suspensionis relaxationem, sed cum saepe memoratus Sacerdos Mercadante ss. Missae sacrificium subsequenter celebraverit

et functiones ecclesiasticas subsequenter publice peregerit, post receptas super hisce gestis probationes praemissisque caeteris praemittendis, eodemque monito, ut se a Missae Sacrificio et aliis Officiis divinis — abstinere sub poena Excommunicationis minoris, deventum tandem fuit ad declarationem, quod ipse evaserat irregularis et quod majorem Excommunicationem incurrerat, cujus absolutio Sedi Apostolicae reservata fuit et post declarationem tam irregularitatis quam excommunicationis noluit Sacerdos Mercadante a Sacrificio Missae abstinere.

Haec est historia facti, quae primis duobus dubiis infra exponendis materiam suppeditavit et quia, antequam ad actus judiciales procederetur, Ecclesia s. Angeli ad Nidum Monitorium obtinuerat ab A. C. super observantia privilegii suae exemptionis a jurisdictione ordinaria, quo stante praetenditur manus Curiae Metropolitanae fuisse ligatas nec citra vitium attentatorum potuisse agere ea, quae egit, hinc in tertio dubio infra memorando promovetur disputatio de attentatis.

Circumferuntur scripturae, quae tamen usque adhuc ad me delatae non sunt, ita ut nihil aliud mihi supersit, quam nonnulla ex textu Concilii et ex registis hujusce S. C. adnotare, quae ad rem facere posse videntur.

Quoad exemptionem habetur in Concilio Tridentino, eam non suffragari exemptis, quominus accedere debeant ad publicas processiones, ut legitur *sess. 25. cap. 13. de Regul. ibi: Exempti autem omnes tam Clerici Saeculares quam Regulares, quicumque etiam monachi, ad publicas processiones vocati accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui ex strictiori clausura perpetuo vivunt.*

Quoad processiones, quatenus publicae dici valeant, resolutum fuit a S. C. in Ferrarien. 23. Septb. 1609

lib. 11. decret. p. 67 et die 28. Nov. 1609, eodem lib. p. 69 a tergo, ibi: *S. C. saepius declaravit publicas processiones, ad quas exempti ab Episcopis vocati accedere tenentur ex decreto capituli 13. sess. 25. de Regul. ejusdem Concilii, eas esse intelligendas, quae indictae fuerunt pro bono publico vel publico honore; et rursus Sacra etc. censuit: publicas processiones, de quibus idem Concilium sess. 25. cap. 13. de Regul. loquitur, intelligi solitas et consuetas, necnon eas, quae indictae fuerunt pro bono publico publicove honore.*

Quoad punctum compellendi exemptos etiam per Censuras, ut publicis processibus interveniant, adest sequens resolutio in Albanen. 23. Sept. 1617 lib. 11. decret. p. 201 a tergo, ibi: Sacra etc. auditis partibus respondit: Monachos s. Hieronymi, ut proponitur, ab Ordinario vocatos teneri ac potuisse compelli etiam poenis et censuris ecclesiasticis ad Rogationes Divi Marci aliasque publicas processiones accedere; et concordat alia Resolutio in Limana 16. Aprilis 1633 lib. 14. decret. p. 729, ibi: Sacra etc. censuit in illis casibus, in quibus Episcopis commissa est executio dispositionis Regulares comprehendentes, posse eosdem Regulares, si inobedientes extiterint, etiam per Censuras ad illius observationem compellere. Demum, quoad inhibitiones A. C. responsum fuit a S. C. in Spoletana 23. Junii 1626 lib. 14. decret. p. 111, a tergo, ibi: Sacra etc. respondit: Episcopum procedere posse ad executionem decreti ejusdem s. Concilii cap. 13. sess. 25. de Regul. declarationis hujus S. C., inhibitionibus A. C. non obstantibus.

His positus dignabuntur EE. VV. decernere:

I. An Curia Archiepiscopalis potuerit cogere Rectorem seu Sacristam Ec-

clesiae s. Angeli ad Nidum ad interveniendum processioni?

II. An potuerit hoc facere per Censuras? Et quatenus affirmative;

III. An Censurae latae fuerint attentatae seu potius sustineantur ita ut Rector praedictus incurreret irregularitatem ob celebrationem?

S. C. C. resp. ad I.: Affirmative; ad II.: Affirmative;

ad III.: Dilata.

Die 30. Sept. et 18. Nov. 1724.

Iterum proposito eodem dubio S. C. C. resp. sub die 24. Mart. 1725

ad I. et II. dub.: In Decisis.

ad III.: Censuras non esse attentatas et in reliquis ad mentem.

Ad dubium: An teneatur praepositus Aqen., qui est parochus, in publicis processibus fieri consuetis monitos facere PP. Carmelitas, ut ad processionem accedant et quomodo?

S. C. C. resp.: Affirmative sive per nuntium sive per schedulas.

Die 19. Maii 1708 ad III.

b) Oratio.

In processionibus generalibus, quando occurrit aliqua Ecclesia, fieri debet commemoratio titularis ejusdem Ecclesiae per Clerum stando. n. 2419 ad 5 die 13. Aug. 1667.

c) Quae est?

Vd. t. II. p. 832: *Process. gen.* (oblig.)

Processiones pro Litanis majoribus Rogationum, occasione Jubilaei, pro pace, pluvia vel serenitate petenda inter generales censi debent. n. 2286 ad 1 die 12. Julii 1664.

Parochus matricis Ecclesiae non potest ad suum libitum inchoare generalis processionis sed expectare debet Canonicos Colleg. et indicenda est hora conveniens. *Ibid.* ad 2.

Generalibus processionibus parochus personaliter interesse debet et non per

substitutum, dum non obstat legitimum impedimentum.

Ibid. ad 3.

Vd.: *Processio solemnis: Processio gener.* (Oblig. Cleri saec. etc., decret. Neapol. diei 30. Sept. et 8. Nov. 1724.)

27) Genuflexio infra process.

Vd.: *Genuflexio cor. SSmo; SS. Sacrament.* (genuflex.)

28) In Hebdom. sancta.

Vd.: *Parasceve* (processio); *Processio Confrat.* (licita, decret. 28. Julii 1724 ad 4 Bonon.)

29) Hora.

Vd.: *Process.* (plures ead. die); *Processio* (tempus); *Processio ss. Corp. Chr.* (duae).

30) Imagines etc. circumferendae.

Vd.: *Processio* (Res circumf. etc.); *Processio* (Laici etc.); *Processio ss. Corp. Chr.* (Laici; quae res etc.)

31) Indictio et directio Episcopi.

Cf.: *Processio* (obligatio); *Processio Regul.* (via etc.); *Processio funebr.* (quis dirigit?); *Processio in festo Corp. Chr.* (transl., decret. n. 4200); *Processio* (licentia); *Processio prohibita*; *Processio* (mutatio, translatio).

Episcopus non potest cogere sed hortari laicos, qui cum vexillo confuse et sine ordine ad processiones accedunt, ut ordinate et cum candelis procedunt. n. 159 ad 6 die 3. Aug. 1602.

Episcopum horam processionis tam ss. Sacramenti quam aliarum quarumcunque processionum suo arbitrio indicare posse et intimari facere Clero, Magistratui et aliis quibuscumque interesse habentibus, qui omnes ordini et mandatis Episcopi obedire tenentur. n. 317 die 17. Junii 1606.

Ad Archiepiscopum pertinere indicare publicas processiones et ad illas per publicum edictum populum convocare.

Posse Archiepiscopum ex causa prohibere, ne fiant aliquae processiones ex devotione populi et Confraternitatum introductae, si fuerit repertum expedire, ut prohibeantur. n. 528 ad 1 et 2 die 14. Jan. 1617.

Ad Episcopum privative quoad alios in sua dioecesi pertinere indicare publicas processiones et ad illas per edictum publicum populum convocare.

Episcopi esse, indicare, decernere, dirigere atque deducere processiones de Concilio tantum Capituli, non autem de consensu. Id servandum esse in omnibus processionibus, quae tam in perpetuum decernuntur, quam in locis pro una vice tantum fiunt ob publicam causam. n. 614 die 14. Febr. 1626; n. 1388 die 31. Maii 1642; n. 1417 die 22. Nov. 1642; 8. Mart. 1749.

Ad Episcopum privative pertinere indicare et dirigere processiones, quo et qua maluerit, nec sine ejus licentia aliter fieri licet. n. 933 die 2. Aug. 1631.

Processiones edicere, decernere, dirigere et deducere ad Archiepiscopum pertinere de consilio tantum Capituli, non autem de consensu. n. 1519 ad 3 die 2. Julii 1644; n. 3201 ad 1 die 21. Jan. 1690.

Recedendum esse a decisis sub die 21. Jan. 1690 et translationem process. privatarum pertinere ad Capitulum cum approb. tamen Archiepiscopi. Die 3. Sept. 1695 in *Hispalen.*

Ordinationes publicarum et solemnium processionum spectare ad Archiepiscopum et illo absente ad ejus Vicarium. n. 2585 ad 1 die 14. Maii 1672.

Spectare ad Archiepiscopum cum Consilio Capituli tantum processiones consuetas transferre ex causa pluviae vel alia causa suo iudicio legitima. n. 3201 ad 2 die 21. Jan. 1690.

Ad dubium: an Episcopus Justinopolitan. processionis Dominicanorum, sin-

Tres ex Canonicis Collegiatae associantes funus repraesentare totum et integrum Capitulum vocatum ad funus. n. 1227 die 28. Apr. 1640.

Capitulum Cathedrali deberi praecedentiam per vias supra parochos defunctorum, etiam stolam deferentes, dummodo Capitulum interveniat cum propria Cruce. n. 1269 die 15. Sept. 1640.

In associandis cadaveribus non nisi vocatos intervenire debere et ideo Capitulum Ecclesiae Collegiatae abstinere debere prout abstinet. n. 1281 die 12. Jan. 1641; n. 1328 die 11. Maii 1641.

Quod si Canonici sponte et bono zelo impulsivi funus associare velint, non in habitu canonicali neque collegialiter cum propria Cruce, sed in eorum habitu ordinario uti singuli, post feretrum sequi debere. n. 1345 die 11. Nov. 1641.

Capitulum Cathedrali non vocatum non intervenire debere in funeribus. n. 1282 die 12. Jan. 1641.

Praecedentiam in associando cadavere defuncti improvisa morte intra limites alterius parochiae spectare ad parochum domicilii. n. 1333 die 2. Julii 1641.

Praecedentiam competere Capitulo et Canonicis Colleg. supra parochum defuncti, quando cadaver ad Collegiatam defertur. n. 2074 die 11. Sept. 1660.

In associatione funeris ad aliquam Ecclesiam parochialem, in qua Archipresbyter et Capitulum Colleg. cum proprio parcho defuncti simul conveniunt, praecedentia danda est proprio parcho. n. 3767 die 2. Apr. 1707.

Ministros Basilicae s. Petri et eos, qui a dicta Basilica et Capitulo ad defunctum cum stola recipiendum et deducendum transmittuntur, praecedere debere proprio parcho defun-

ctorum, ut etiam alios, et sub die 25. Sept. 1637 S. C. declaravit: „pro Basilica s. M. maj. et aliis Ecclesiis parochialibus (Patriarchalibus?).“ n. 2376 die 26. Junii 1666.

Canonicus, cui collata est cura animarum, si velit incedere in funeribus cum stola et gerere personam parochi, locum non habet inter Canonicos, sed incedere debet uti parochus ante Capitulum Cathedrali post caeteros presbyteros. Si autem velit interesse uti Canonicus, stare debet loco suae receptionis sed sine stola, deferenda hoc casu per digniorem de Capitulo. n. 3250 die 24. Nov. 1691.

Ad dubium: an Canonici non solum in via sed etiam in propria Ecclesia parochiali praecedere debeant ipsi parochus in funeribus et aliis functionibus, non obstante praetensa contraria consuetudine?

S. C. resp.: Affirmative, praeterquam in actu faciendi Officium, quod spectat ad parochum. n. 3650 ad 3 die 28. Apr. 1703.

In processionibus funer. debetur parochis praecedentia supra Mansionarios tam Ecclesiae Cath. quam s. Mariae Aretinae civitatis incedentes sine Canonicis et Capitulo. n. 3733 ad 1 die 12. Sept. 1705.

Praecedentia non debetur sacerdotibus vice parochorum et de eorum mandato intervenientibus in processionibus funeral. exceptis vice parochis exercentibus jus parochiale.

Ibid. ad 2.

Ad dubium: 1. An Curato regulari competat praecedentia super Canonicos saeculares in associatione cadaverum?

2. An etiam competat in accessu vel recessu a dicta associatione cadaverum respective seu funerum absolute?

Et eadem S. R. C. respondit ad utrumque: „Affirmative“ tam in voce

quam in scriptis partibus informantibus auditis. Et ita declaravit et servari mandavit. n. 3815 die 17. Aug. 1709.

Congregationi Sacerdotum saecular. in associatione confratrum defunctorum competit Imolen. praecedentia supra Regulares. n. 3933 ad 1 die 19. Aug. 1719.

Congregationi Presbyter. saecul. Oppidi Novar. in associatione cadav. aliisque functionibus ecclesiast. competit praecedentia super Regulares. n. 4373 die 15. Mart. 1774.

Ad dubium: an occasione associationis cadaverum in Ecclesia PP. Minor. Convent. Valentiae liceat praeposito et parcho Collegiatae cum Clero vel sine ingredientibus Ecclesiam dictam cum stola et Cruce elevata, praecedere hebdomadarii regul. indutum superpellico et stola usque ad locum exequiarum?

S. C. resp.: Negative. n. 4008 ad 1 die 15. Mart. 1732.

Ad dubium: An in funeribus, facta ab haeredibus electione, dum Orator uti parochus advocat ad funus Cathedralis Capitulum, possit praecedentiam habere incedendo cum stola ante feretrum, locumque in stallo supra Capitulum assumere, cujus ipse est Canonicus supranumerarius?

S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Affirmative in associatione cadaverum: in Officio pariter affirmative, si hebdomadarii munus exercent.“

Atque ita rescripsit servarique mandavit.

N. 5133 ad 1 die 22. Julii 1848.

Ad dubium: An et cui competat praecedentia in associatione cadaveris?

S. C. resp.: „Affirmative ad parochum defuncti, dummodo non deferat canonicalia insignia, si fuerit Canonicus Collegiatae, etiam si isti collegia-

liter incedant. Saepissime enim a S. R. C. declaratum fuit, ad parochum defuncti spectare in funeribus stolam deferre, aqua benedicta cadavera aspergere, antequam e domo efferantur, et Antiphonam praecinere: *Exultabunt Domino*. Immo a S. C. C. in Callien. Jurium parochialium 20. Decb. 1828 declaratum fuit: hoc pertinere etiam in funeribus Canonicorum Ecclesiae Cathedralis. Praecedentia vero parochi supra Capitulum Collegiatae statuta fuit a S. R. C. in Faventina 15. Sept. 1668 et alibi. Praesertim vero (in casu hoc) definire censuimus, quum Collegiata s. Mariae Magdalenae Oppidi Ereti Dioecesis Sabinen. erecta fuerit a sa. me. Urbano VIII. absque ullo praepudicio alterius Parochiae, quae, quum jam extaret, dici nequit Collegiatae filialis. Quod si ad consuetudinem convertatur sermo, numquam Canonici in funeribus parochum s. Hilarii praecesserunt. Si vero parochus iste fuerit Canonicus et Canonicalia Insignia deferre cupiat, tunc proprium locum inter Canonicos habere debet, namque facto suo in illo vel altero casu parochialibus privilegiis vale dixit et se esse contentum declaravit veluti Canonicum tantum censi voluisse. Et ita dicimus, sententiamus, pronunciamus et declaramus omni meliori modo. Atque ita sententiarunt die 19. Sept. 1831. Quum autem super re percuperent omnes, ut opportunum ederetur Decretum et ad ea, quae in arbitramentali sententia ipsa omnibus pateat, et authenticum Documentum in Archivio earumdem ecclesiarum servari queat, S. R. C. in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata praesens decretum expediri iussit, atque a Capitulo et Canonicis Collegiatae Ecclesiae s. Mariae Magdalenae et parcho s. Hilarii Ereti Dioecesis Sabinen. sine ulla appellatione

servari mandavit, die 12. Nov. 1831 n. 4673.

Anagnina.

Praepositus Collegiatae Ecclesiae loci Piglio vulgo nuncupat. in Dioecesi Anagnina S. R. C. duo dubia dissolvenda proposuit, nimirum:

1. Quum in una Sassoferrati Nucerrinae Dioecesis die 24. Octobris 1609 praescribatur:

„Illum Presbyterum seu Curatum seu Priorem, qui defert stolam et ad cuius Ecclesiam funus defertur, alios omnes praecedere debere etiam Canonicos Ecclesiae Collegiatae“: et in una Praenestina Cavarum die 12. Maii 1618 contrarium asseratur, petit declarari: utrum primum an secundum ex allatis Decretis servari debeat?

2. Quum declaretur in una Maceraten. sub die 10. Junii 1656 Capellano Curato ratione stolae in funeribus praecedentiam deberi, etiam supra alios quoscumque Sacerdotes Curatos simplici colta indutos, declarari petit: an idem valeat etiamsi alii Sacerdotes pro indumento habeant Mozzettam?

Et Emi ac Rmi Patres S. R. tuendis praepositi in Ordinariis Comitibus ad Quirinale infrascripta sub die coadunati, referente R. P. D. Secretario, respondendum censuerunt: „Praecedentiam competere illi qui stolam defert.“

Atque ita rescripserunt die 28. Julii 1832 n. 4695.

Vd. supra decr. n. 416.

Quoad praecedentiam unius parochi, in cuius Ecclesia quis est mortuus, respectu alterius parochi Ecclesiae, ad quam defunctus sepeliendus effertur, extat optima dispositio inter Acta Ecclesiae Mediolanensis par. 2. Tit. de funere ducendo, vers.: cum ex parochia p. 286 ubi sic legitur: „Cum ex parochia, cui saecularis Sacerdos praesit, mortuus effertur, ut in parochiali Ecclesia sepeliatur, cui Regu-

laris sit praefectus vel e contra, tunc utrique parochi superpelliceo et stola induti pares progrediantur, reliqui vero Regulares eum locum teneant, quem in generalibus processionibus tenere consueverunt, non obstante quacumque consuetudine vel pactione, quam inter se fecerant.“ „Idem vidi Romae servari, ubi quoque praecedentia datur parocho illius Ecclesiae, ad quam defunctus defertur.“ Sic in terminis *Barbosa* de Offic. et potest. parochi, part. 1. cap. 9. n. 8.

e) Quis dirigit?

Capitulum Cathedr. invitato in associatione cadaveris alterius parochiae competit dirigere processionem funebrem ad Ecclesiam tumultantem et non parocho ejusdem cadaveris. n. 4132 ad 1 die 15. Sept. 1742.

f) Via.

Vd.: *Process. fun.* (exit. etc.)

Corpora defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium sepulturam sibi elegerunt, non esse prius ad Ecclesiam parochialem deferenda, sed parochos teneri cadavera suorum parochianorum levare e loco, ubi asservantur, et associare usque ad portam Ecclesiae Regularium. n. 1337 die 6. Julii 1641; n. 2619 et 2620 die 4. Mart. 1673; n. 3241 ad 3 die 11. Aug. 1691; n. 3603 ad 1 die 3. Dec. 1701.

Non licere Archipresbytero retentionem cadaveris defuncti, qui sibi sepulturam elegit in Ecclesia religionis, in sua Ecclesia, sed cadaver recto tramite sine ullo impedimento ad locum sive Ecclesiam destinatae sepulturae deferatur. n. 625 die 24. Apr. 1626; n. 721 ad 1 et 3 die 29. Jan. 1628; n. 1884 die 4. Maii 1647.

Idem decretum n. 2573 die 19. Dec. 1671 cum appendice: „Etiam haeredibus defunctorum contradicentibus et

ad parochialem prius deferri volentibus.“ Cadavera recto tramite ad Ecclesiam deferri debent. S. C. Ep. 14. Jan. 1639.

Defunctorum cadavera in Regularium Ecclesiis tumulanda esse deferenda recto tramite ad Ecclesias Regularium, non autem prius ad parochialem. n. 2574 ad 4 die 19. Dec. 1671; n. 2733 ad 3 die 22. Junii 1675; n. 2899 die 2. Sept. 1679.

Spectare ad parochum declarare, per quam viam exportandus sit defunctus, et reliqua alia disponere usque ad januam Ecclesiae, quando cadaver est sepeliendum in Ecclesia Regularium. n. 2574 ad 5 die 19. Dec. 1671.

Quoad viam eligendam spectare ad parochum. n. 3002 die 26. Sept. 1682.

Processio funebr. fieri non valet per viam longiorem sed potius per brevioram ad Ecclesiam tumultantem, dummodo processio incedat per viam commodam atque decentem. n. 4132 ad 2 die 15. Sept. 1742.

Parochi Lacerinae exposuerunt, adesse consuetudinem, quod, quando parochiani defuncti sibi elegerunt sepulchra aliarum Ecclesiarum, transierunt associati a parocho per vicus et plateas aliarum Eccles. paroch. et Cathedralis absque ulla contradictione et solutione alicujus rei Capitulum Cathedr. n. 2713 die 17. Nov. 1674.

S. C. resp.: Parochos per Capitulum Cathedr. non esse molestandos. n. 2713 die 17. Nov. 1674.

Cadavera defunctorum etiam presbyterorum et Sacerdotum in Regularium Ecclesiis tumulanda, deferenda recto tramite ad Ecclesias Regularium, non autem prius ad parochialem vel ad alias Ecclesias, non obstante contr. consuetudine immemorabili allegata formiter et legitime probanda. n. 2905 die 16. Dec. 1679.

Vd.: *Process. funebr.* (exit. ab Eccles. paroch.)

Ad dubium: An cadavera defunctorum in Ecclesia PP. Conv. s. Francisci montis Aerei sepelienda, antequam ad eorum Ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad parochialem seu potius recto tramite deferri ad Ecclesiam Patrum?

S. C. C. resp.: Negative, nisi defunctus vel haeres aliter ordinaverint. Die 16. Mart. 1726.

Ad dubium: An cadavera defunctorum sepelienda in Ecclesia Conventus Confratrum tertii Ord. debeant ad illam recto tramite deferri seu potius sint prius asportanda ad Ecclesiam paroch. et eorum ibi fieri debeant exequiae?

S. C. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 14. Maii et 9. Julii 1746.

Massanen.

Michael Pacinus plebanus portus Ferrarii cadavera defunctorum, qui sepulturam sibi elegerunt in Ecclesia PP. minorum s. Francisci de observantia, non posse statim efferri, sed in Ecclesia sua parochiali deponenda esse praetendens cum vigore monitorii A. C. super executione nonnullorum decretorum S. C. R. inhibitus fuerit, causam per R. P. D. auditorem Sanctissimi ad hanc S. C. remitti obtinuit, quae pro consueta informatione Episcopo rescripsit.

Ille autem refert, in ea dioecesi decreto synodali caveri, ne absque interventu et licentia parochi cadavera domibus efferantur aut ecclesiasticae sepulturae tradantur, asserens praeterea, quod, licet per eosdem regulares consuetudo exponendi cadavera in propria Ecclesia adducta fuerit, ex fidebus tamen coram se productis illa potius dicto plebano assistere videatur, cum sub protestatione ac expressa praeservativa jurium parochialium ipsum